



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

6. Tria genera animarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

Prò dolor ! exciderant fastu data iussa, caduntque ;

Sed tua cum lucro gratia Christe levat.

Ipsa Trias tandem (munus pensetur amore)

Humanæ mentis gloria summa datur.

N. Ex D. Tho. 22. q. 2. art. 7. & 8. quòd Adam in statu Innocentię, tamquam primus parens qui posteros instrueret ad vitam æternam, fidem habuerit mysteriorum Divinorũ specialiter Incarnationis ut ex verbis Adami Gen. 2. propter hoc relinquet homo Patrem &c. collatis cum C. 5. ad Eph. colligunt DD. accipiendo hoc de Christo relinquire Patrem & Matrem cælestem Jerusalem ut ad hæreat Ecclesię in terra; & consequenter SSS. Trinit. fides fuit. Quæ per Christum & Apostolos clarè est manifestata.

SYMBOLUM 6.

Triã genera animarum

Scil. Vegetativum, Sensitivum, rationale, quæ in homine sunt una anima.

PLanta quidem sensim crescens assurgit in auras,
Ipsa tamen sensu, notitiâque caret.

Et pariter vivunt, gaudent animalia sensu,

Ac quadam crassâ cognitione valent.

(a) Præter ea est homini concessum (b) mente valere,

Et Triadis vultu, post sua fata, frui

[a] Anima rationalis ut docet D. Tho. Quodl. 1. art. 6. continet inferiores, puta vegetativam & sensitivam. (b) Docet idem Doctor 1. p. q. 93. imaginem Dei reperiri in homine secundum mentem (per mentem intellige omnem illam partem, per quam homo excedit alias creaturas & que convenit homini ut homo est) quia homo sic representat & naturam, & personarum Trinitatem aliquâ similitudine. Naturam, in quantum Deum imitatur non solum in hoc quod est, & vivit, sed etiam quod intelligit: Trinitatem in quantum in eo reperitur processio verbi, processio amoris: atque ita principium verbi, verbum, amor.